

DIE 4 DECEMBRI

COMMÉMORATIO
B. BARBARAE
VIRGINIS & MARTYRIS


AD II VESPERAS

STOWARZYSZENIE "SCHOLA GREGORIANA SILESIENSIS"



**DIE 4 DECEMBRI
COMMÉMORATIO
B. BARBARAE, VIRG. & MART.
AD II VESPERAS
SIMPLEX**

Antiphona super psalmos Ib



Hæc est Virgo. *Ps.* Dixit Dóminus. E u o u a e.

Ps. 109

Glória Patri.

Dixit Dóminus Dómino meo: *
sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, *
scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet
Dóminus ex Sion: * domináre in
medio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die vir-
tútis tuæ in splendóribus sanctó-
rum: * ex útero ante lucíferum
génui te.

Iurávit Dóminus, et non pæni-
tébit eum: * Tu es sacérdos in
ætérnum secúndum órduem
Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, *
confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natióibus implé-
bit ruínas: * conquassábit cápita
in terra multórum.

De torrénite in via bibet: *
proptérea exaltábit caput.

Ps. 112

Laudáte púeri Dóminum: *
laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedí-
ctum, * ex hoc nunc, et usque in
sæculum.

A solis ortu usque ad occá-
sum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dó-
minus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus nos-
ter, qui in altis hábitat, * et humí-
lia réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et
de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípí-
bus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in
domo, * matrem filiórum lætan-
tem.

Glória Patri.

Ps. 121

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut civitas: * cuius participátio eius in idípsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudicio, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem: * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtúte tua: * et abundantia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Glória Patri.

Ps. 126

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboráverunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodiéret civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem

súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagítte in manu poténtis: * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desiderium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimicis suis in porta.

Glória Patri.

Ps. 147

Laudá Ierúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.


Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante faciém frígoris eius quis sustinébit.

Emíttet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúnciat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri.



Hæc est Virgo sápi- ens, et u-na de número pru-déntum.

Capitulum

Eccli. 51


Czytanie

Syr 51, 1-2


Confitébor tibi, Dómine rex,
et collaudábo te Deum sal-
vatórem meum. Confitébor nó-
mini tuo, quóniam adiútor et pro-
tector factus es mihi, et liberásti
corpus meum a perditíone.

Wychwalać Cię będę, Panie,
Królu, i wysławiać Cie-
bie, Boga, Zbawiciela mego. Wy-
chwalam imię Twoje, bo stałeś
się dla mnie podporą i wspomóż-
ycielem. Wybawiłeś moje ciało
od zguby.

Hymnus VIII



Vir- ginis pro-les, o-pi-féxque Matris, Vir-go quem gessit, peperit-



queVirgo, Vírginis fe- stum cá-nimus be- á-tæ, Acci-pe vo-tum.

Hæc tua Virgo dúplici beata
Sorte, dum gestit frágilem domare
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Córpo-re sæclum.

Huius obténtu, Deus alme nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens,
Quo tibi puri resonémus almu
Péctoris hymnum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis
Seva poenárum génera pavéscens,
Sánguine fuso méruit sacráta
Scándere cælum.


Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

Versiculus

℣: Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟: Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magn. ant. VIIIA



I- sta est. *Cant.* Magní-ficat. E u o u a e.

Canticum B. Mariæ Virginis

Luc. 1, 46-55

Magníficat * ánima mea Dó-
minum.

Et exultávit spíritus meus * in
Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem
ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc
beátam me dicent omnes genera-
tiones.

Quia fecit mihi magna qui po-
tens est: * et sanctum nomen eius.

Et misericórdia eius a progé-

nie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio
suo: * dispérsit supérbos mente
cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, *
et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et
dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel, púerum suum, *
recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres
nostros, * Abraham, et sémini
eius in sæcula.


Glória Patri.



I- sta est Virgo sá-pi- ens, quam Dóminus vi- gi- lántem invé-nit,



quæ accépta lámpa-de sumpsit secum ó-le-um, et ve- ni- énte Dó-




mi- no intro- í-vit cum e- o ad núpti- as.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris
noster: ut sicut de beátæ
Barbaræ tuæ festivitáte gaudé-
mus, ita piæ devotiónis erudiá-

mur afféctu. Per Dóminum
nostrum Iesum Xpistum, Fílium
tuum, qui tecum vivit et regnat in
unitáte Spíritus Sancti, Deus, per
ómnia sæcula sæculórum.
℟: Amen.



Benedi-cámus Dó- mi-no. ℟. De-o grá- ti- as.

stowarzysz
enie: schola
gregoriana
silesiensis

